

ILLUSTRISSIMO

8

HEROI,

I O A N N I
M A U R I T I O ,
C O M I T I N A S S A V I A E , &c.

C u m ,

POST SUPREMAM TERRA MARIQUE BRASILIÆ
IN OCCIDENTALI INDIA PRÆFECTURAM,
FOEDERATORUM BELGARUM NOMINE GESTAM,
DESIDERATISSIMUS PATRIÆ REDDERETUR.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina WILHELMI CHRISTIANI Boxii.

clocc xlv.



Illustriſſimo Herbi

IOANNI MAURITIO, Comiti Nassoviae, &c.

C U M

ex America redux patriæ redderetur.

Nassoviae in terris certissima gentis imago,
Musarum spes & gloria, Martis amor,
Cujus cum meritis noster quo vivitur orbis
Atque angusta nimis terra Batava foret;
Excessit Phœbi radios, quâque occidit illé
Virtuti titulos fixit vbiique suæ.
Nunc redit, exoriturque suis: quos luce renata
Aspicit, & docto se docet ore loqui.
Victori attonitæ gratantur carmine Musæ,
Et Batavus Phœbum sentit adesse suum:
Vtque, redux orbe occiduo, non occidat ipse
Communi pariter numina voce rogan.

DANIEL HEINSIUS
ex tempore scribebat.

A 2

ILLU-

ILLUSTRISSIMO
HEROI,
IOANNI MAURITIO,
COMITI NASSAVIÆ, &c.

C U M,

POST SUPREMAM TERRA MARIQUE BRASILIÆ IN
OCCIDENTALI INDIA PRÆFECTURAM, FOEDERA-
TORUM BELGARUM NOMINE GESTAM, DÉSIDERA-
TISSIMUS PATRIÆ REDDERETUR.



*Vi patriam Batavis patriæ modo redditus Heros
In quondam ignoro condidit orbe novam ;
Inque novum veteris virtutes intulit orbis ;
Cujus ab exemplo nescitur esse pius ;
Cujus in Europam migravit America ductu ,
Ac orbem in veteri credimus esse novum ;
Ille novos super in veteri Nassavius orbe ,
Inque novo veteres eminet orbe duces.*

MARCUS ZUERJUS BOXHORNIUS.

Ad

MAVRITIVM NASSOVIVM,

Braſilia nuper Imperatorem, nunc verò reducem, cum in Germaniam ad Matrem suam proficiceretur.



Actenus Hesperium currit tua fama per orbem,
 Qua slistit fessos Phœbus anhelus equos,
 Ac peregrina tibi summittunt sidera fasces,
 Virtutesque tuas Barbarus Indus amat:
 Horret Iber, quoties sentit nova fulmina belli,
 * Franciscusque suo turgidus ore fremit:
 Horret Iber, quoties naturæ vincula frangens
 Currit in obsequium ventus & unda tuum,
 Et quoties Mauro maculatum sanguine pontum,
 Disjectasque rates risit amica Tethys:
 Agnoscit vestros dives Angola triumphos,
 Et combusta suo sole Löanda tremit.
 Cuncta fidem superant: reduci tibi sidera plaudunt,
 Vocibus & lœtis Haga superba strepit.
 Sola tuos vultus desiderat inclita mater,
 Et queritur tardè currere solis equos:
 Sæpe tuos somno complecti visa lacertos,
 Sæpe manum tangit, sed levis umbra fugit;
 Ac totiens vestro narrantis pendet ab ore,
 Atque stupet gnati fata secunda sui.
 Quin properas Generose Comes? quin spernis Aquarî
 Effusos imbres, Æoliasque minas?
 Absterget genitrix spumantes æquore vultus,
 Ac lachrymis addet basia turgidulis,
 Et subito vegetos iterum juvenescet in annos,
 Exuet & senii tristia fila sui:
 Non secus ac Phœbus post horrida tempora brumæ
 Torpentem terrain suscitat igne novo,
 Et redeunte Deo cunctis reddit igneus ardor,
 Sic redditu Vestro vivida mater erit.

* Rio de
Francisco.

ANTONIUS THYSIUS, J.C.

Illusterrimo, & Excellentissimo Heroi,

I. MAVRITIO NASSAVIÆ, &c.

Comiti, cum ex orbe Americano redux
Patriam Matremque repeteret.



Uos iterum, Dux summe, lares, quæ celsa Deorum
Regna petis? tantusne animis ælestibus ardor,
Nullis stare viis? nullo requiescere mundo?
Occiduas vidisse plagas, incognita Belgis
Sidera, turritosque illic struxisse penates,

Æthereas pulsasse domos, ac nomina vastis
Exæquasse polis, poterant, Dux inclyte, cursus
Bellorum tardare tuos, similemque parandi
Materiem præbere aliis, verum enthea mentis
Gloria perpetuas nescit contemnere laudes.
Ulterius ruit ista deûm Nassavica pubes
Cæsareumque decus: servent sibi sidera metam.
Sit terræ finitus honos. Tu singula transis,
Magne triumphator, debellatisque Philippis
Audis occidui felix victoria mundi.

Ecce repentinis iterum viridantia lauris
Tempora, ne faustis careat successibus orbis,
Eligeris Divos inter, medioque Potentum.
Consilio tua vota sonant, equitumque Magister
Maximus effulges Batavis in secula terris.
Si cui crede mihi, non hic tibi finis honorum,
Summe ducum; majora dii, majoribus ausis,
Victricique Tuae promittunt omnia dextræ.
Vesaliam ratione regis, fidique parentis.
Voce salutaris: prima hæc encomia laudum
Involvunt cumulos; animis arcana recondo
Quæ tanto confusa duci mens præscia volvit.

Interea, quo fata trahunt, felicibus Euris
Appropera, nihil unda ducem remoratur cuntem,
Nil acres bellorum ausus, nihil aspera Iberi
Progenies. Tua Te Genitrix, Tua gloria dulcem
Exspectat sobolem, nimium nocuere calores

In-

Intensi, solare piam, Dux maxime, Matrem,
Et tibi quæ vitam dederat, vivacior in Te
Vivat, & in gnato Mater revirescat adulto.
Festina celerare viam, festinat anhela.
Mater & extensis gnatum jam comprimit ulnis,
Exultansque suos dudum madefecit ocellos,
Tardantem incusans sobolem. Rursumque tuetur
Sollicita, atque novis macrescit fervida curis,
Sicque Tuas, Princeps, umbras compellat, & alto
Ore gemit, tristesque sonos hoc pectore plangit.

Inclyta progenies, thalami solatia prima,
Delicium cordis, quæ sors inimica ruentem
Lancinat, atque animam cura suffundit edaci?
Heu soboles, quam prima recurrit mortis imago,
Cum Batavi post terga lates ac regna jacerent,
Et procul occiduum solvisses vela per orbein.
Deserta genetricce tua! Quam pectora sæpe
Frigida pulsabam, quamque alta voce querelas
Mittebam superum in sedes, si forte dolores
Ignotis audire plagis per fata liceret!
Me miseram, quam sæpe exarsi scire repostas
Orbe vias, quibus aut astris terrâ que maneres
Num Lunæ hæc facies, numq; hæc splendesceret orbis
Gloria, & expansi lux formosissima cœli.

Incastrum. Tibi cuncta patent, Tu latus in oris
Battavicis trans æquor ades, Matremque relinquis
Afflictam, nostræ nec curis rangeris ullis.
Gnate redi duramq; in Matrem haric exue mentem,
Et liceat coram redivivi certiere Patris
Ora Tui. Si ductor ovans mea vota requiris,
Et nostris Divum precibus mens victa movetur,
Hæc Tibi fatidicis pando præfigia verbis.

Æthera propitio (quis enim tardaret amores)
Numine, & afflatu spirarunt fata secundo.
Mœnia, turritasque rates, sævosque Tyrannos
Subjicis, ac diris insultas hostibus ultor.
Proxime Diis ductor, crescit tua fama per Orbis
Atria, & expansi transit fastigia cœli,

Nec laudis stat meta tuæ, quâ Phœbus oberrat
Hacque Tuus se tollit honos, cœloque refuges
Stella micans, lateque ignoto notior orbe
Se virtus, sc̄ vita probat, ridetque jocantein.
Fortunæ faciem, & prudens temeraria spernit
Iudicia insani populi, figitque triumphos
In lingua, inque animis hominum, soloq; refrænat
Corpore præsenti tumidæ ludibria linguaæ.
Ipsa sibi virtus merces. Tibi numina Rector
Haetenus adspirant lætis successibus ultro,
Et Batavum calcare solum, post nubila ponti
Tempora, concedunt. Dabitur propiore Deorum
Sorte frui, Batavisque simul fulgescere terris,
Inque Brabantinis lauros defigere glebis.
Tu modo felici redeas in Belgica passu
Imperia, Auriacisque offer nova præmia belli,
Consilio, ferroque potens. Tuque ampla Deorum
Progenies quæcunque Ducem comitaris ovantem
Voto, atque ore fave. Comites suavissime Philti
Tu sequeris, priscamque domum, matremque Ducissam
Ore salutabis, nostri memor esse memento,
Dum memor ipse Tui. Junxit Brasilia dextras,
Vivat amicitiae decus inviolabile, quodque
Occiduus dabat orbis, idem Germania vinclis
Fulciat æternis. Domino mea vota reclude.
Sæpius, ac nostros, si quos mereamur, honores
Pande lubens. Silene mihi Tua cognita virtus
Prospera promittit, tecum dum Philius aulam
Dirigit, unanimo consendo sydera voto,
Claraque Nassavicæ vivent encomia famæ.

F. PLANTE.

AD

Nlaudes, Dux magne, tuas dum flumine largo
 Castalii properant latices, fontesque resolvunt;
 Dum calami reducem certant extollere, dextræ
 Amplexi, studiisque strepit gens tota canoris,
 Musa mihi, quamvis ægrè, stupefacta tot inter
 Conticuit. Quis te, quis enim, celeberrime vatum,
 Amstelii quo se jaçtant ut Apolline Delphi,
 Gratantem redditum pede non æquante sequatur,
 Ni faciat vitreis nomen temerarius undis?

Sed fuit hoc Belgæ. Reducem dum Belgica primum
 Excipit, atque sinus, mater velut altera, pandit,
 Officiis certat. Cui virtus serviit, illi
 Non malè pensatur. Veniunt tibi præmia laudum.
 Splendida, MAURITI, sed quovis judice tantum
 Nil supra meritum, posset quo scandere cœlum.
 Alcmenæ soboles iterum, cui nomina Colchi
 Submittant, jactet cui sese parcius Argo.
 Omnia senserunt Belgæ, votisque probatunt
 Unanimes. At nunc patriam dum cogitat Heros,
 Augustosque lares, & quondam pace beatos
 Nassoviæ montes, Divæ incunabula gentis,
 Surgite gratantes vatum gens enthea, si vos
 Ardor vester agit, nec longo pectora Marte
 Et torpore senent. Phœbo non pulchrior ulla
 Materies: sumtis rēnōventur carmina plectris,
 Et porrecta novo succedant gaudia vultu.

Ille dies tibi festus erit, tibi semper honorus,
 O patria, ô Divum sedes, lucique beati
 Nassoviæ, tantus patriis ubi sedibus heros
 Appellens, longi cupiet sarcire dolorem
 Discessus, radiosque suæ distingere frontis.
 Hic patriæ supremus honor. Nec regia cepit
 Alcinoi, reducem Phrygiâ, nec regia Solis
 Laërtâ genitum: fuit aspera sola voluptas
 Neritos atque Ithacæ scopuli. Remoratur euntem
 Et nostrum nil usque ducem; non fœta triumphis

Bel-

Belgica, marmoreis non conspicienda columnis
Haga superba, novos vel quos ibi Vesta penates
Construxit, rutilos auro, nitidos vel ebano,
Aut ebore. Auriacus, cognati cura, Gradivus
Huic nollet quicquam sapiens opponere curæ:
Laudatur pietas, atque ipsa Vesalia cedit
Hic de jure suo; collati nuper honores
Concedunt, & Martis apex concedit equestris:
Nam patriæ speciosus amor. Nec segnus omnis
Te quoque, MAURITI, Divum genus, incola terræ
Expectat patriæ. Cernis, Dux inclyte, turba
Ut ruat, atque arctis stet condensata plateis?
Attonitosque gerat vultus ac ora juventus?
Ut Segoduniades mittant ad compita matres,
Haud secus ac densis Romæ Vomitoria ludis?

Hic Niciam jurat reducem, dum Thesea dicit
Alter, & inferior fertur tua fama, Duilli.
Non majore redux applausu cernitur illo
Orbe Ligur. Vestræ communis gloria gentis,
Nassovii, crepero dare maxima fulmina bello,
Ultricesque manus. Crebris ea nomina fastis
Occurrunt, & vix surgunt de nomine vestro
Degeneres animæ. Fama hæc sacravit Adolphum
Imperio, cunctos veluti sacravit Olympo.
Sed tibi vulgaris sordescit gloria famæ,
MAURITI, camposque petis, quos orbita laudis
Nunquam Nassoviæ tetigit. Non sufficit orbis
Vnus, & ignotis nomen notescit ab oris.

Hoc hospes civisque stupet. Jam flumine Siga.
Liberiore fluit, fastum spernitque procacem.
Atque minas, Tiberine, tuas. Qui Nerea vastum
Sprevit, & insanæ spumas ruit Amphitrites,
Lusum Tibrin habet. Reditus solabitur iste,
Magne ducum, bis jam facto quos gutture fama.
Terruerat, vanæque nimis mendacia linguae.

At tu victor ades, victor simul hostis & atræ
Invidiæ. Cupidam tandem completere matrem,
Matris grande decus, spes maxima. Cernis ut ipsa,

Colla

Colla premens, oculis vix post divertia credat
Talia, vix animus capiat tot gaudia, nec mens
Fessa sibi constet. Quæ tot densata suorum
Funera, vix redditum dilecti pignoris æque
Corde capit. Simplex nec pectora comprimit ignis,
Lætitia geminante calent; præsentia cernit
Pignora terna sibi, solatia certa senectæ,
Grandia fulcra domus. Nequeunt quos frangere dura,
Affectu ridente cadunt. Fortissime sed tu
Quo recreetur habes. Pendet narrantis ab ore
Dum genitrix, casus pandis terraque marique
Innumeros, cœlique vices, faciemque locorum
Pingis, & occidui recitas fera nomina mundi,
Ipsa dura sono, nec cuiquam audita sororum
Aonidum, quæ vix Cleio proferre potis sit
Amstelis, & nostris vix reddi commoda Musis.
Explorare tamen matrem juvat atque sorores
Egregias; & eis pulso pallore ferent
Frontem sueta Venus, quoties tu victor ab hoste
Diffugiente redis, tecum sudantque ruuntque,
Et tecum tumidi lustrant miracula ponti:
Vultu corda probant. Alia mox partè propinquus
Sanguis adest, spectare Ducem, conjungere dextras
Omnis amor. Thulen ultra, Calpenque Abylenque
Qui tulit heroæ generosa vocabula gentis,
Non optatus erit? Lodoici lumina cerne
Henrici, quantum vultu restatur amorem?
Quam longè curas à se jam spernit edaces;
Quas patriæ generavit amor; quas nubila spargunt
Tempora Teutoniæ. Juvas ire, & fortia corda,
Cognatosque videre duces, & jungere dextram,
Et varios miscere sales, quos grata susurro
Siga probes, leni repetas quos murmurè Dilla,
Qui clarum laribus fecisti nomen avitis.

Fortunati amnes! quos hæc præsentia magnis
Anterulit fluviis, oculis quos Rhenus iniquis
Aspicit, & Vahali contermina littora Mosæ.
Gratia tanta viris, tam præstans usus in armis!

At

At vos, illustres animæ, tria fulmina belli,
Martigenæ fratres, patriis impendite terris
Otia, dum galeas glacies suspendit hiberna.
Sit spatum requiesque animis. Generosior instat,
In se qui rediit. Genitrix solatia poscit
Ista, brevemque moram. Quis justè deneget illi,
Quæ vitam lucemque dedit? Tum prodere vires
Tempus erit, totisque animis & corpore Martem.
Integrare trucem, cum mitia tempora veris,
Cum Zephyri reparant bello terramque fretumque.
Ingens virtutis vobis patet æquor, & ingens
Area laudis adest. Patescit dextera campos
Auriaci, quo tu, M A U R I T I, ducere possis
Cornipedem, & factis dictisque animare phalangem.
Jam Morinum gens tota timeret, jam Wasia fossæ
Diffidit, Sassaque nihil se tendere contrâ
Captâ posse videt, Flandrique & Ganda itemiscit,
Dextrum nuda latus, lævum quoque nuda. Quid ultrâ
Bæticolis supereft? Paucos requiescite menses.
Illustres animæ, patriæ matrique litate
Et consanguineis spatum breve mobilis anni.

Viseré Nassoviæ nondum mihi rura cupitæ
Fas est, sed votis sequar usque ac usque profundis,
Et precibus. Patrias nullo discriminie terras
Calcate, & Batavis iterum feliciter oris
Munia commissi vobis ostendite Martis!
Prospera nascentis vobis cat orbita Iani,
Clausula prosperior! Votorum hæc summa, suaque
Jungit tota preces, Batavum quæ terra patescit,
Nassoviæ quæ rura jacent. Sed cura Lycéum
Intima Nassovium motdet, quod, vita superstes
Sit modò M A U R I T I O, prisco revirescat honore,
Atque peregrinis iterum certabit Athenis.



G. CORVINUS.

